

## Miscellen.

### Ad Melampodiam.

Apollodori bibliothecam nescio quis legens adscripsit ad III 6, 7, 7 Melampodiae ut fertur Hesiodi versus duos, quibus Tiresias iudicium suum de lasciva illa Iovis Iunonisque lite pronuntiat:

Οἴην μὲν μοίρην δέκα μοιρῶν τέρπεται ἀνὴρ,  
τὰς δὲ δέκ' ἐμπύπλησι γυνὴ τέρπουσα νόημα.

Non aliter scholiographi HQ ad κ 494 et Tzetzes ad Lycophr. 683 (coll. Phleg. Trall. 4 et Eust. ad Od. 1665, 45). Differt scholiographus Lycophronis Marcianus:

Ἐννέα μὲν μοίρας, δεκάτην δέ τε <μοίραν> τέρπεται ἀνὴρ,  
τὰς δέκα δ' ἐμπύπλησι γυνὴ τέρπουσα νόημα.

Hic in versu priore diversam quandam recensionem statuit Rzachius (ad Hesiodi fr. 190): idem alterum versum tamquam postea ex priore illa et vulgari recensione adsutum prorsus abicit. Admittit nimirum vir doctus cum Kinkelio post μοίρας (sicuti supra exhibui) pausam, ita ut in deperdito aliquo versu, qui praecessisset, fuerit et δέκα μοιρῶν mentio et inducta γυνὴ τέρπουσα νόημα. De resecando versu secundo adsentior: de priore non item. Scholiographum enim, cum dicit δέκα οὐσῶν τῶν πασῶν ἡδονῶν μίαν μὲν ἔχειν τοὺς ἄρρενας, τὰς δὲ λοιπὰς ἔννεα τὰς γυναῖκας, versus apparet ex vulgari illa recensione legisse, in qua prior locus maribus, posterior feminis fuit. Rem igitur ita expedio, ut secluso versu secundo in priorem nulla post μοίρας posita distinctione inducam vocularum δέ τε vim additivam, qualis exstat apud Homerum E 117: νῦν αὖτ' ἐμὲ φίλαι Ἀθήνη Δὸς δέ τε μ' ἄνδρα ἐλείν (cf. καὶ δέ τε, e. g. Υ 28). Iuno igitur Tiresiani iudicii improba malignitate exacerbata (ὀργισθεῖσα schol.) Falsum hoc est, inquit, non feminae, sed mares novem illis gaudent portionibus et insuper etiam decima: nam ne hanc quidem quae restat nobis relinquunt:

Ἐννέα μὲν μοίρας δεκάτην δέ τε τέρπεται ἀνὴρ.

Relictus igitur est versus ex ampliore quadam Melampodiae citatione et addendus fragmentis.

Sed vide num inde vel plusculum lucis lucremur. Iuno enim sicuti dicens τέρπεται ἀνὴρ ipsius Tiresiae verba non sine fervore quodam irae sibi arripit, ita debent etiam verba deae ἔννεα μὲν μοίρας in prioribus habere quo spectent. Apparet igitur verum vidisse Heynium, cum legeret in Tiresiae iudicio non τὰς δὲ δέκ' (vel τὰς δέκα δ'), sed ἔννεα δ' ἐμπύπλησι γυνὴ

τέρπουσα νόημα. At unde tandem natae sunt turbae istae tenebraeque, quibus adhuc totus locus obscurabatur? Equidem sic statuo (paullo, non nego, artificiosius, sed gaudebo, si quis rationem prorsus simplicem invenerit). Commisit nimirum primo aliquis, ut ex tribus illis versibus, qui ex integra citatione aetatem soli tulerant, versum tertium i. e. Iunonis verba iam non intellexeret. Incidit in eundem ac Rzachius errorem: ratus subesse alteram responsi Tiresiani recensionem ex vulgari addidit et quidem opinor praefixit versum, sic:

τὰς δέκα δ' ἐμπύμπλησι γυνὴ τέρπουσα νόημα,  
ἐννέα μὲν μοίρας, δεκάτην δέ τε τέρπεται ἀνήρ.

Quod cum fecerit, aperta est causa, cur genuinum illud ἐννέα δ' immutaverit in τὰς δέκα δ' (sive τὰς δὲ δέκ'). Deinde alius quivis ordinem invertit: scribit ut exstat in Marciano. Hinc autem profectum necesse est tertium aliquem ratione prorsus diversa ita maluisse rem instituere:

ἐννέα μὲν μοίρας, δεκάτην δ' οὐ, τέρπεται ἀνήρ,  
τὰς δὲ δέκ' ἐμπύμπλησι γυνὴ τέρπουσα νόημα.

Quod quomodo intellexerit bibliothecae auctor, vides ex eis, quae praebent libri manuscripti: δεκαεννέα μοιρῶν περὶ τὰς συνουσίας οὐσῶν τὰς μὲν ἐννέα ἄνδρας ἤδεσθαι, τὰς δὲ δέκα γυναῖκας. Quae verba qui ad vulgarem fabulae memoriam emendando adcommo-  
davit, Barthius, licet is adsensum tulerit fere omnium, tamen vereor, ne ipsum auctorem pro librario castigaverit. Legit enim aperte commentum hoc in bibliotheca iam is, qui ad referendas istas nugae docte adpinxit margini: τὸ ὑπὸ Τειρεσίου λεχθὲν πρὸς Δία καὶ Ἥραν et quidem ea versuum forma, quae est genuina trita reliquis quoque testibus probata.